



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

De catholicis & religiosis ritibus, qui in religione Christiana versantur. cap.
lvii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

bus modis Imperator cassetur, vel deponatur, vide Hostien. in cap. mibi, de iureiurando. & notat. in cap. ad Apostolicam, de re iudicata, vide textum in cap. alius. xv. quæst. vj. & vide gloss. in cap. si Papa. xl. distinct. & vide supra in cap. xvj. Et sic ad honorem Dei remanent expeditæ materiæ præsentis Speculi nostri. Et si electores sunt negligentes, vel discordant, electio Imperatoris deuoluitur ad Papam. & multa de Imperatore videbis in tractatu de Imperatore Castaldi Perusini, qui multa scripsit, licet confuse, & inordinate. & de excessibus Imperatorum videbis Paridem de Puteo in tractatu de syndicatu. Et an Imperator habeat potestatem suam à Deo immediate, an mediante summo Pontifice, vide Michaellem in suo tractatu de regimine mundi, in secunda quæstione principali, in decimo volumine tractatum, folio. ccx. & vide in capitulo xvj.

DE CATHOLICIS, ET RELIGIOSIS
ritibus, qui in religione Christiana versantur. Cap. LVII.

S V M M A R I V M.

- 1 Quotuplex sit monachorum genus, assere[n]s se Christum seque[n]t[ur], remissiuè.
- 2 Religiosorum regule quæ & quot sint.
- 3 Humiliatorum ordo unde originem traxerit.
- 4 Trinitatis ordo quo tempore inceperit.
- 5 Militares ordines sintne ab Ecclesia comprobati, & qui sint.



Antoninus Archiepiscopus Florétinus in sua summa in tertia parte, tit. xvj. c. j. & ij. colligit triplex esse monachorum genus, qui se Christum sequi dicunt.

Primi sunt Serobitæ in libertatis spiritu discurrentes, & degentes, qui in Chalcedonen[si] concilio reprobati fuerunt, vt cap. quidam monachi. xvj. quæst. j.

Bbb 5 &

& ca. qui vere. vbi dicitur; Monachi, qui sunt in ciuitatibus, Episcopo debent esse subiecti.

Secundi dicti fuerunt Anachoritæ eremitici, ac solitarij victus assertores, exordium ducentes ab Helia Thesbite propheta, de quo iij. Regum. xvij. vel vt alijs placet, à D. Ioanne Baptista, qui primus à Christo nato fuit eremicultor ab vnguiculis, à quo puto Paulum eremitam imitationem vitæ hausisse, quem Anachoriticæ sanctimonie auctorem omnes profitentur. de quibus traditur. xvj. q. j. ca. qui vere. & subsunt Episcopis. xcij. distin. c. nulla ratione. & gaudent clericorum priuilegio; possuntque ad monachorum vocari prælaturam. de elect. c. cum monasteriū. vnde potest eremita facere testamentum. xix. quæstio. iij. §. sed alius est. de hac vita Anachoritica participant Carthusiani, & Camaldulenses.

Tertij vero sunt vocati Ccenobitæ, quasi in vnum conuenientes, viuentesque in congregatione; & videntur exorti ab Heliseo, qui cuneum constituit prophetarum. iij. Regum. vj. Renouati autem fuerunt à Christo in discipulis, Matthæi. v. Verum post Christum primus in Orientali plaga Ccenobitarum gregatim agentem fuit Basilii magnus; Benedictus vero in Occidentali ecclesia.

Sed quemadmodū orbis est quadrifidus, quatuor item Euangelistæ, & quatuor Doctorum ecclesie vertices, quatuor item flumina è Paradiso terrestris scaturientia. ita religiosorum quatuor sunt regulæ principales; ad quarum præscriptum omnes aliæ sunt appendices, præter Carthusianam, quæ nullam ex quatuor agnoscit, sed habet proprias formulas. & est ab ecclesia approbatissima. Sunt autem hæ quatuor scilicet Basilij, Benedicti, Augustini, atque Dominici & Francisci Assisinat. Quatuor ordines mendicantes sunt. Prima sancti Dominici; Secunda sancti Francisci; Tertia sancti Augustini; Quarta Carmelitarum.

Ordo igitur Basilij, cuius ipse caput, fuit primus, sub quo militant monachi Græcæ & Orientalis ecclesie, & alij quando Carmelitæ vsque ad Albertum, Patriarcham Hierosolymitanum, qui traditiones eorum sub Honorio. iiii.

immuta-

immutauit, anno M.cclxxxvj. Veruntamen Honorius, quē
 à Sultano illos excepit eieciōs, ordinem comprobans in-
 terpolauit, dicauitque nomini virginis Mariæ, sed ita ut
 pallium in album commutarent. dicti Carmelita à Carme-
 lo monte habitatione Heliæ, & Helisei nobili, quem pri-
 mum incoluisse feruntur.

Ordo Benedictinorum fuit secundus, ab authore diuo
 Benedicto Nursino, monasterij montis Casini regulatore,
 & Abbate, anno salutis. D xxxiiij. sub Bonifacio primo,
 tempore, quo Iustinianus Imperator Romanorum leges
 in epitomas posuit. Sub hac regula militant innumeri mo-
 nachi, & maxime nigri, de quibus in c.j. in princi. & ibi Io.
 And. in cle. de sta. mo. qui aliquando laxati vitæ austerita-
 tem, iterum recepti sunt in congregationem sanctæ Iusti-
 tiæ cum exemptionibus, & constitutionibus per Eugeni-
 um. III. confirmatis.

Cluniacenses habent suum authorem Bernonem Gal-
 lum anno D cccxij. sub Conrado primo Impera. & Ana-
 stasio. III. sedente.

Grandimontenses emerfere anno. M. lxxvj. sub Grego-
 rio VII. Pontifice, & Henrico. III. Henrici filio, Imperato-
 re; instituti per Stephanum Auernum apud Gallos in mō-
 te Mureto.

Carthusienses prodire anno. M. lxxxvj. sub Victore. III.
 Ponti. & Henrico. III. Imperat. quos formauit Bruno Co-
 lonien. canonicus aliquando apud Carnotum.

Cistercienses ex quodam Ardingo Anglico prouenere,
 monacho cenobij Molismensis anno. M. xcviij. xi. anno
 Pontifi. Urbani. II. qui miris sunt donati priuilegijs, &
 quorum decus fuit D. Bernardus Abbas Claraua-
 lium.

Præmonstratenses in Lingonen. dicecesi Norbertum
 Lotharingum authorem constituunt, anno Dom. M. cxx.
 sub Calisto. II. Pont. & Henrico. V. Imperatore, qui nonni-
 hil mutati sunt ex regula diui Augustini.

Camaldulenses initiati per Rommaldum Rauenna-
 tem in Appennino sub Benedicto. IX. Papa, & Conrado.
 II. Impera. anno. M. xxxiiij.

Monachi

Monachi vallis ymbrosæ, suum authorem profitentur Ioannem Gualbertum Florentinum anno. M. lxx. sub Alexandro. II. quos postea Gregorius. VII. probavit. institui in radicibus Appennini.

Cœlestini instituuntur per Petrum de Murrone, aliquando Papam Cœlestinū. V. qui se Papatu abdicauit, & religionem instituit, anno. Mccxcv. Bonifacio. VIII. sibi succedente.

Cluniacenses prodeunt sub Anastasio. III. in Masticensi Burgundiæ pago anno. Dccccxv. nonnulli dicunt a Guilielmo Aquitanie duce fuisse inchoatos circa tempora Hadriani. III. sunt qui putent hos esse Chuniacenses.

¶ Ordo Humiliatorum octauus est in Germania temporibus Clementis. III. Pon. ex eo, ut arbitror, nomen ducens, quod ad Frederici. I. Imper. pedes indussis albis vestiti de postliminio agentes prostrati iacuisent. Sunt qui dicant Mediolanenses fuisse ab Henrico. III. Impe. exilio multatos, & ab Innocentio. III. probatos; qui semimonachos agunt, & hi creduntur, qui & Syluestrini, seu ordo Montis fani.

Sunt in Benedicti familia permulti alij Ordines, veluti Fontis Ebrandi, Valliscaulium, & cetera, & hi omnes diuerso amiciuntur indumento, differuntque in traditionibus, & statutis, suntque omnes exempti, præter Syluestrinos.

Successit tertius Ordo, scilicet, D. Augustini Afri, euangelicæ veritatis summi illustratoris, qui renouauit Canonicorum ordinem, institutum prius ab Apostolis in monte Syon, circa annum. ccccxxx. amictum linea tunica. Augustini normam multi alij ordines subiere, maxime Mendicantes, præter Minores, & hi sunt.

Dominicani, seu predicatorum, qui primum mendicantium locum obtinent, à B. Dominico Calaguritano professionem faciunt, quos Honorius. III. confirmavit Pontifici. sui primo anno, & humanæ salutis. M. ccxvj. Imperator Frederico. II. quorum ordo est trimembris, & Deo dicatas virgines recipit, quas vestitas de pœnitentia vocant. qui ordo quàm eximius sit scientia, omniumque virtutum

copia

copia in ecclesia Dei, est adeo omnibus clarum, ut testimo-
nio nostro non egeat.

Eremitani, quos vulgus Augustinianos vocitant, tertium inter mendicantes locum sunt nacti, qui a primordio ex pluribus ordinibus simul coacti sub Augustini observatione sunt cum baculo, & zona pellicea, ab Alexan. III. probati. Sūt qui huius vitæ generis tribuat initia Guilielmo cuidam Aquitanix duci anno. M. clviij. & vocantur Guilielmitæ. Alij dicunt hunc ordinem aliquando collapsum, iterum instauratum fuisse sub Innocentio. III. Ponti. & Ottone. III. Impe. ad annum Domini M. ccxiiij. hoc tamen pro confesso habetur, hunc ordinem Parisijs aliquando repudiatum fuisse ab Honorio. III. probatum.

Ordo Servorum B. Mariæ ortum habuit à quodam Philippo Thufco Florentino sub Martino. III. anno M. cclxxxv. quem sub Augustini ordine postea Benedictus. XI. & Urbanus. VI. probauere, sacculum gestat, & mendicat, habetque suam tripartitam regulam, etiam ut mulierem sexum admittat.

Brigidani sunt instituti à B. Brigida Suetia tempore Urbani. V. Pontificatus sui anno. V. & reparatæ mortalitatis. M. ccclxvj.

Iesuati Senis oriuntur sub Urbano. V. anno. Mcccclxv. B. Ioanne Columbino Senensi authore. Teguntur albo colore, & scortea zona, sed pallio camufino, nudis pedibus, cum focculo ligneo, Apostolici ab initio clerici nuncupati.

Canonici regulares. S. Georgij Venetijs vitæ institutum sunt aggressi sub Gregorio. XII. quorum princeps fuit Laurentius Iustinianus.

Montoliuenses prodire anno. M. ccccviij. sub schismate trium Pontificum, & eorum caput fuit Bernardus Prolemeus apud Senas, quorum ordo Gregorius. XII. probauit.

Hieronymitani authorem habuerunt Redonem Montisgranelli comitem apud Fesulas, Gregorio. XII. probante, & interpolati per Eugenium. III.

Con-

Congregatio Eremiticæ pietatis parum habitu difflans ab Hieronymitanis aufpicatur per quendam Petrum Pisānum Hetruscū, sub Gregorio. XI. & gestat ex capulari amictu laciniam pendētem, atque in humeros reiectam. Aliqui hos vocant Eremitas. S. Monophrij constituit apud Vrbīnum.

Cruciferi constituntur sub Cleto. iij. à Petro Pontifice per cœlestem nuntium, & illustrantur per Cyriacum Hierosolymitanum antistitem, & approbatur per Innocentium. III. & iterum per III. & induerunt tunicam ceruleam Pontificatu Pij. II.

Scopetitiij. S. Seruatoris Stephanum Bononiensem profitentur in uentorem anno. M. cccc. sub Gregorio. XII.

Antoniani ab autore suo Antonio Aegyptiaco ducunt originem apud Thebaidam sub. S. Syluestro, & Constantino, circa annum. cccxx. habent pro insignio signum Tau.

4 † Ordo Trinitatis sub Innocentio. III. incepit, Ioanne Marense, & Felice Anachorita authoribus. pallio amictur candido, cerulea & rubenti cruci insignito, quos Innocentius vocari iussit, de Redemptione captiuorum.

Sunt alij multi religiosorum ordines sub. S. Augustini regula, quorum origines, & authores cum hæc cursim scriberemus, erant nobis incognita, ut sunt Seruitarum, Ferventiorum, B. Ioannis Hierosolymitani, Cruciferorum cœstella, Fratrum S. Petri cœsel. de Magella, Fratrum Domini Sepulchri, Fratrum Vallischollarium, Victorianorum, Fratrum. S. Gilberti de Sempingam, Fratrum. S. Pauli eremita, Fratrum de pœnitentia, Coronatorum, Hospitaliorum, & aliorum permultorum. Et hi omnes differunt inter se yesse, & vitæ præceptis.

Restat quarta primæ diuisionis regula, quæ est B. Francisci Assisiani, cuius ordo Seraphicus, tanquam sydus in terris illuxit sub Innocentio. III. Pontificatus sui. viij. anno. & salutis humanæ. M. ccvj. Sed quia post ordinem Dominicanorum fuit confirmatus, ideo secundum tenet Mendicantium locum, & euangelicam proficitur normam; ex cuius gremio, velut ex equo Troiano, innumeri veræ fidei pugiles

pugiles prodire, signiferum Iesu Christi ad stigmata sequentes. Ordo hic est trifidus, vt Mendicantium, nempe Minorum, Pauperum, & Pœnitentium; & in duplici differentia Deo dicatas habet Virgines. de quo in cle. cū ex eo, de sen. ex com. in cle. j. de reli. do. in extraua. ex iiii. Barth. Soci. in conf. ccxlv. incip. omiffis multis, &c.

Ordo Minimorum est recēs institutus à Beato Francisco de Paula Brutio. prædicti. S. Francisci decreta, & humilitatem æmulatus.

Mulieres item religiosas pauci sunt ordines, qui non recipiant, & in eorum obseruationibus alant. Canonissæ B. Augustini Diuam habet Monicam. Moniales. S. Benedicti D. habent Scholasticam, Benedicti sororem. Sorores B. Dominici gaudent D. Clara, & Catherina Senens. Sorores. D. Francisci D. Claram Alsiniatam agnoscunt. & sic de reliquis. Inter quas aliæ mitiorem habent regulam, aliæ verò strictiorem. Sunt tamen Canonissæ aliquæ nullam proficentes regulam, quæ reprobantur per. c. pernitiosam, xvij. quæst. ij. Sunt etiam Beguardi, & Beguinæ indutæ cuculla sine regula, & obedientia, quas damnat cle. ad normam, de hære. Sunt & aliæ bene receptæ, vt pœnitentes B. Magdalene, B. Hieronymi. B. Damiani, incluse, muratæ, &c. Qualiter autem visitari debeant religiosæ, & Moniales traditur in cle. attendentes. de stat. monach.

Sunt item & ordines militares ab ecclesia comprobati, vt sunt milites S. Ioannis Hierosolymitani, Milites sanctæ Mariæ Teutonicorum, Milites S. Iacobi de Spata, Milites Iesu Christi, Milites Calatrauæ, Milites B. Mariæ de Muntesa, Milites Alcantaræ, Milites de Redemptione, Milites. S. Georgij, Milites. S. Lazari, Milites. S. Sepulchri, Milites. S. Thomæ. Templariorum, & Fratereulorum militiæ est abrogata. Et hæc sunt, quæ dum prælia currebant, pauca potui quæ breuissimè seligare, maximè ex diuo Hieronymo, Eusebio, Palmerio, Vincentio, Antonio, Platina, Ioanne Andrea, Sabellico, & Volaterano, quod bene verant omnes oro, potissimum qui de Christiana religione sincere sentiunt.

AN